

RAIMVNDI LVLLII

MAIORICANI DE SECRETIS

naturæ, seu de Quinta Essentia,

Liber unus.

P R A E F A T I O.



Eus gloriose, cū tuæ sublimis bonitatis ac infinitæ potestatis uirtute, incipit liber secretorū naturæ, seu quintæ essentiæ, qui doctrinam dat eius extractionis, & applicationis ad corpora humana, ad opera terribilia totius artis medicinæ procuranda, & uia philosophica finienda, qua occultata, & uera medicina occultatur, & etiam metallorū transmutatio obstruitur. Et reserata, qualibet eorū reseratur, q̄ quidem est imago omnium librorum super his tractantium, quæ Deus gloriosus exhibuit nobis, ut corpus nostrum à corruptibilitate quantū foret possibile per naturā usq; ad terminū nobis constitutum à Deo, & ut etiam ipsa metalla imperfecta in perfectum aurū & argentum transmutentur. Et quoniā desiderium meū est, ut artistæ huius artis Deum cōtemplantes per bona opera, potius Deum intelligant, recolant, & ament, pauperibus, uidiuis, orphanis male habentibus, sine precio magno uel minori succurrendo, & huiusmodi opera faciēdo, ut non simus similes illi, qui Domini talentum abscondidit, & ad finem sibi cōmissum non exhibuit, ut ait Matthæus 26 capitulo. Confidens em̄ in illo, qui inquit ad Moysen. Ero in ore tuo, ut te doceam quid loquaris, hoc secretissimū secretorum, archanorū archanum, uobis uiris Euangelicis duximus declarandū, diuina uirtute inspirante, & ipsius infinita bonitate iuuāte, modicam de ipsis principijs

cipijs